

337

335

341

331

346

326

386

286

436

236

Ende

Anfang

326

secundum eorum desiderium, disputant, arguunt et concludunt de causa malorum ventorum et de impedimentorum ratione conferunt. Unde in tota classe erat occultum murmur de corpore defuncti consulis, quod in nostra jacebat galea, et pessimas maledictiones et imprecations inferebant defuncto; et si fuisset peregrinus princeps, vix sustinuissent; sed quia senator Venetianus erat, nemo audiebat aut loqui aut facere contra eum. Alii inculpabant peregrinos, dicentes, eos esse infortunatos, quia non cum devotione loca sancta visitassent, vel quia aquam Jordanis secum tulissent, quam nullo modo patiuntur, ut patet P. I. Fol. 197., vel quia furatas reliquias haberent et lapiros de locis sanctis, quae omnia asserebant esse impedimenta navigationis. Quidam autem instigabant gubernatores, ut sacculi nostri perscrutarentur et inventa in mare projicerentur; quod et fecissent, si defuncti corpus non fuisset. Non enim admisissemus nostra ad mare ejicere nisi prius cadavere exposito, cui omnes causam impedimenti attribuebant. De superstitionibus marinariorum saepe superius me fecisse mentionem memini.

Septima die, quae fuit dominica secunda adventus Domini, fortificati sunt venti contrarii nec spes erat recedendi. Quidam miles autem de sociis nostris in alia galea deliberaverat diem illum deducere in jucunditate nobiscum et volebat Missam navalem, quam nominant torridam, audire a nobis, quia ipsi carebant sacerdote in galea sua, sciebat enim, quod singulis diebus officium Missae legebatur aut per me, aut per dominum Joannem in cumbis nostris, ad quod audiendum intrabant plures ad nos, praecipue festivis diebus. Miles ergo ille ob urbanitatem accommodavit a patrono suo pateram argenteam pulchram, pretiosam et deauratam et repletam cinebro viridi confecto cum zucharo ad nos deferre intendebat ad propinam. Cum ergo pateram manu gerens de galea per gradus descenderet in barcam, contigit, eum casu pede lubricitari (B), sieque oblitus sui lapsa patera e manu in mare cecidit immersa profundo. Reascendit ergo in galeam, promittens praemium ei, qui se mari immitteret et pateram reportaret, sed non est inventus, qui faceret. Dicebant enim, maris fundum ibi esse scarosum et cavernosum et cum hoc profundum valde, insuper non clarum, cum coelum esset atrum, nec tranquillum, sed inquietum et tumorosum, et verisimile esse, ipsam pateram longe

